



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Synodus Osnabrugensis, IV Martii MDCXXV habita ab Episcopo Itelio
Friderico, S. R. E. Cardinali, Comite Zollerano.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

DECRETA
SYNODI DIOECESANÆ
OSNABRUGENSIS,

Habitæ Anno MDCXXV,

Feria tertia post Dominicam Oculi,
quæ erat quarta Martii,

S V B

Illustrissimo & Reverendissimo Principe ac Domino,
D. ITELIO FRIDERICO,
S. ROM. ECCLESIAE CARDINALE
DE ZOLLERN,
Episcopo Osnabrugensi.

R

In

In nomine SS. & individuae Trinitatis, Patris, & Filii,
& Spiritus sancti, Amen.



TELIUS FRIDERICUS, Dei gratia S.R.E. Cardinalis de Zol-
leren, Episcopus Osnabrug. &c. Vniuersis & singulis, Præpositis, De-
canis, Archidiaconis, Abbatibus, Prioribus, Pastoribus, Ecclesiarum
Rectoribus, Monasteriis & Conventibus, aliisque Civitatis & Diocesis
Nostræ Osnabrugensis subditis & incolis, tam Ecclesiastici quam se-
cularis Status, cuiuscunque Ordinis, qualitatis & conditionis, salutem
in Domino sempiternam.

Postquam, Deo ita disponente, ad regimen Ecclesiæ Osnabrug. vo-
cati sumus; nihil sane Nobis, a primo in Diocesin Nostram ingressu, ma-
gis cordi fuit, quam ut, pro Episcopali Nostra obligatione, qua Deo obstricti & subditis No-
stris debitores facti sumus, in illa, quæ ad ipsorum salutem æternam, pacem & tranquillita-
tem pertinent, toto pectore incumberemus, & imprimis Cleri Nostræ reformationi (ex qua
deinde communis populi mores dependent) seriò intenderemus.

Cum verò inter alia media nullum tam efficax videatur, quam Synodorum celebratio;
quarum præcipuus scopus esse debet, sanam orthodoxamque doctrinam, hæresibus omnibus
antiquiorem, defendere ac stabilire; bonos mores tueri, pravos corrigere; vigorem disciplinæ
Ecclesiasticæ conservare, aut collapsam restituere; populum in vera Religione, pace, ac vitæ
innocentia, instruere & continere; ut proinde Synodi non immeritò, *Ecclesiasticæ disciplinæ*
nervi, dici possint:

Hinc, sancti Spiritus auxilio invocato, pro Episcopali munere Nostrò, (quantum quidem
pro præsentium rerum ac temporum statu fieri potest) intendentes omni studio, ea quæ ad
fidem & pietatem, religionem cultumque divinum, mores & disciplinam Ecclesiasticam
spectant, & ad bene Christianeque vivendum opportuna sunt & necessaria, ordinare, con-
stituere & reformare; Statuta, Ordinationes, & Constitutiones sequentes, sub modo & for-
ma infra scripta, duximus ordinandas, constituendas, confirmandas, & publicandas; ordi-
namus, constituimus, confirmamus, & publicamus, & sub pœnis ac censuris infra scriptis,
aut aliis in Canonibus expressis, ac Nobis etiam arbitrariis, firmiter observari præcipimus
per præsentem.

CAP. I. *Publicatio & Receptio SS.*
Concilii Tridentini.

IN primis itaque debito Nostrò Episcopali
satisfacere, ac vestigiis recolendæ memoriæ
Ioannis ab Hoya, antecessoris Nostræ, insistere
volentes, Sacrosancti generalis Concilii Tri-
dentini Decreta, tam doctrinam fidei, quam
Reformationem morum respicientia, ad Dei
omnipotentis gloriam & subditorum No-
strorum salutem recipimus, insinuamus, pro-
mulgamus & publicamus, & ab omnibus sub-
ditis Nostris, omni quo fieri potest meliori
modo, recipienda & servanda esse, decernimus
per præsentem; in contrà venientes, contuma-
ces & rebelles, debitis & consuetis censuris
& pœnis animadversuri.

¹ Cantic.
2. vers.
10. 13.
c. 4. v. 1
& 7.
c. 5. v. 3.
² Apoc.
21. v. 9.
³ Actor.
20. v. 28.
Matt. 28.
v. 20.

CAP. II. *De Ecclesia, Fide & Do-*
ctrina Catholica.

INam, Sanctam, Catholicam &
Apostolicam Romanam Eccle-
siam, unam æterni Regis: amicam, Colum-
bam, ² Sponsam, uxorem, Agni ipsius Sangui-
ne acquisitam, à ³ sancto Spiritu & Apostolis

edoctam, ⁴ Columnam & firmamentum veri-
tatis, ⁵ Divo Petro ejusque successoribus Ro-
manis Pontificibus concreditam, in iis quæ
ad fidem moresque pertinent, errare non pos-
se, ipsius Sponsi & Capituli Ecclesiæ, Domini
nostræ Iesu Christi fidelis promissio, Aposto-
lorum & omnium orthodoxorum Patrum au-
toritas & consensus, omnibus sæculis ita con-
firmavit & approbavit, ut, qui illud non ten-
ent, & contrarias aut diversas ab ea doctri-
nas & opiniones seminant, suscipiunt, defen-
dunt, tanquam filii tenebrarum & dissensio-
nis, ab ea procul sint alieni, & damnationem
sibi acquirant, ac meritò pro hæreticis ac schi-
smaticis haberi debeant.

2 Quamvis autem, licentia & iniquitate su-
periorum temporum, in hac Diocesi Nostra,
variarum novatorum hæreses & opiniones disse-
minatæ sint: confidimus tamen, ac fere etiam
ita animadvertimus, tam altas radices in ani-
mis simplicium subditorum non egisse; ut exi-
stimare possimus, plurimos, superiorum tem-
porum incuria & ignavia, subversorum fraudu-
lencia, & mobilitate quadam imperitæ plebis,
atque adedò ignorantia magis quam prava &
obstinata animi malitia, delinquere.

3 Quo-

⁴ 1 Tim.
3. v. 15.
⁵ Ioan. 21.
vers. 15,
16, 17.
Matt. 6.
vers. 18
& 19.
Matt. 28.
v. 20.

3 Quorum saluti ut consulatur, & errantes oviculæ, Episcopali Nostra cura & vigilantia, ad unicum Orthodoxi gregis ovile, & mysticam Noë Arcam, extra quam salus non est, & gremium sanctæ Matris Ecclesiæ, in quo in fide & charitate fovemur & alimur, revocentur ac reducantur;

4 Hortamur in Domino, & seriò moneamus omnes & singulos, cuiuscunque status & conditionis subditos Nostros; ut, rejectis pravaram opinionum erroribus & diverticulis, ac novatorum corruptelis & imposturis, ad puram, sanam, integram, synceram Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ fidem & doctrinam convertantur ac redeant; errantibus & dubitantibus directionem, instructionem & satisfactionem, per Nostros ad id deputatos Theologos, sive apud Nos, sive ubi ipsi voluerint, offerentes; ut tandem ovium animi cum suo Pastore conformentur, ¹ & unanimiter & uno ore honorificentur Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi.

5 Ad hunc finem Nostrum optatum feliciter assequendum, statuimus, ut Pastores per totam Dioecesin Nostram, sanam orthodoxamque doctrinam, secundum intellectum Catholicæ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, omni novitate rejecta, amplectantur, & ubique doceant: simulque etiam à vitiosa, turpi, carnali ac fordida vita (quæ defectionis, apostasiæ & omnium hæreseon ac novitatum initium ac fomentum omnibus ferè sæculis existit) ad sanctam, castam, puram, sobriam, & Sacerdotio dignam redeant, ac, sicuti veros Dei ministros & dispensatores mysteriorum Dei decet, sanctissima Sacramenta dignè administrare, docere, catechizare, verbo & exemplo prodesse laborent; secumque seriò cogitent, quantam à Sacerdotibus novi Testamenti Deus requirat cordis corporisque munditiam, qui etiam in figura Veteris Testamenti Sacerdotibus & Levitis præcepit: ² *Mundamini, qui fertis vasa Domini*; quamque displiceat filio Virginis, quem ipsi æterno Patri pro peccatis totius mundi quotidie offerunt, impuris animis suscipi, pollutis manibus tractari; qui, etsi quidem infirmitatibus Nostri se subjecit, de Virgine tamen nasci voluit, quique per Apostolum suum comminatus est, ³ *An nescitis, quia templum Dei estis & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Dominus.*

C A P. III. De SS. Sacramentis & eorum usu.

I C Vm verò malorum omnium incensor diabolus, cuius ⁴ *invidia mors in orbem terrarum introivit*, post sparsa errorum suorum zizania, per suos emissarios, (quorum commune cum maligno est studium) nihil ma-

jori sævitia & humani generis damno moliantur, quam ut sanctissima Ecclesiæ Sacramenta, ⁵ *per quæ omnis justitia incipit, vel cepta augetur, vel amissa reparatur*, partim exterminentur, partim temerè contemnantur ac proculcentur, partim non legitime administrantur; ut, fontibus ac canalibus divinæ gratiæ obturatis vel sublatis, divinorum charismatum defluxus, ac continuus gratiæ ac promissionis Christi in Ecclesia usus & utilitas cesset, & definentibus remediis, spes omnis vitæ æternæ præscindatur;

2 Hinc Maligni conatibus pro virili obstinere cupientes, volumus & præcipimus omnibus & singulis Ecclesiarum Prælatibus, Pastoribus, Curatis, Vicecuratis, aliisque Ecclesiasticis subditis Nostri, ut Sacramentorum verus ac legitimus sit usus, & quæ partim neglecta, partim exterminata, partim hæud Catholicè administrata in his regionibus fuerunt, in sanctum rectumque usum iterum revocentur; & de hoc populus diligenter instruat, doceaturque, Sacramenta Novæ Legis, à Domino nostro Iesu Christo instituta, neque plura neque pauciora esse quam septem; videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem ac Matrimonium; quæque de eorum recto usu, gratia & efficacia Christus Dominus, Apostoli, SS. Patres, Concilia, & novissime Concilium Trident. unanimi consensu tradiderunt, docuerunt, & S. Ecclesia Apostolica Romana recepit, approbavit, & fidelibus suis credenda observandaque tradidit.

3 In primis autem, cum ex reliquiis adhærentium ac gliscentium adhuc malarum & hæreticarum opinionum præteriti temporis, rudis populus ad usum Calicis & Communionem sub utraque specie, adhuc propendat; volumus & seriò præcipimus, ut à Pastoribus, Vicariis, Confessariis, Concionatoribus, & quibuscunque curam animarum habentibus, populus diligenter instruat, Communionem sub una specie, neque præcepto Christi, neque naturæ Sacramenti, neque fructui & salutis communicantis repugnare, aut quicquam præjudicare; & Ecclesiam, pro communicata sibi à Christo potestate, iustis & rationabilibus de causis consuetudinem sub altera specie communicandi approbasse, & pro lege habendam decrevisse. Nolumus vero, ad illam temeritatem quemquam procedere, ut se universali, Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ Ecclesiæ autoritati opponere, aut aliud ab ea sentire, disputare, aut etiam usurpare vel præbere audeat. In quo etiam hoc usdem Pastoribus & Curatis mandamus, ne post Communionem ipsi ex Calice, sed ex decenti aliquo poculo, ablutionem per custodem vel aliquem ex honestioribus Laicis, exhibeant; ne populus in opinione pristina retineatur, aut etiam in pe-

R 2 jorem

1 Concil. Trident. sess. 7. in proximo.

1 Rom. 15. v. 6.

1 Isa. 52. v. 11.

2 2 Cor. 6.

4 Sap. 2. v. 24.

jorem errorem labatur, adoretque quod adorandum non est.

4 Sacrosanctum Missæ sacrificium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur, quanta reverentia tractandum sit, ex istius operis sanctitate ac divinitate facile liquet. Quoniam verò multa in his regionibus irrepserunt, quæ à tanti sacrificii dignitate aliena sunt; inhærentes Conciliorum generalium ac provincialium, & novissimè Tridentini, Decretis; volumus & ordinamus, ut ab omnibus Sacerdotibus, hoc tremendum sacrificium, quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditie & puritate, atque exterioris devotionis & pietatis cultu peragatur, populusque de hujus sacrificii præstantia & dignitate diligenter instruat; neque ritus alii, aut aliæ ceremoniæ quam ab Ecclesia approbatæ, adhibeantur, neque cantiones Germanicæ, maximè suspectæ & Lutheranae, aliudve quod minus Fidei sanctæ integritatem sapit, & non maximam venerationem ac reverentiam in se continet, admittatur.

5 Volumus etiam, ut Sacramenti Baptismatis administratio fiat, adhibitis precibus & Exorcismis & Chrismate & Oleo sacro, secundum librum pastorem, de quo postea mentio fiet.

6 Ad Confirmationis Sacramentum administrandum, pro Episcopali Nostro munere, omnibus subditis Nos offerimus; quod, cum ad sanctificationem & robur Spiritus augendamque gratiam omnibus propositum sit, à singulis etiam summo studio expetendum & à nullo contemnendum est. De cujus etiam utilitate Pastores & Curati suos subditos diligenter admoneant.

7 Pœnitentiæ quoque Sacramenti rectum legitimumque usum esse volumus, & ejus partes integrales, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, & quas condiciones habere debeat vera Confessio, à Parochis & Curatis populo diligenter ostendi & explicari, ne is sufficere existimet, generalem illam formulam tenuisse, neque ullam specificationem peccatorum necessariam esse.

8 Confessionem audituri Parochi & Sacerdotes sæculares, superpelliceo aut saltem toga & stola vestiti, in sedibus Confessionalibus (quæ, in Ecclesiis omnibus, aperto & commodo loco ponentur, obstaculo aliquo discriminatæ, ut, dum quis confitetur, ceteri à spatiis plus æquo propinquis arceantur) tanquam Iudices sedeant, & pœnitentes seu confitentem coram Sacerdote reverenter genua flectant, & ritu pœnitentium coram ipso, tanquam Christi Vicario & Ministro, se habeant.

9 Ut verò Pastorum & Curatorum (maximè circa Pascha & alia præcipua festa) levior & fructuosior sit labor; Nos, certos ad id

deputatos Sacerdotes per Parochias mittimus, qui eis adjumento esse, ac simplicem plebem instruere & expiare possint.

10 Quoniam etiam, præcedentium temporum licentiâ, usus Confessionis apud plerisque Pastores & Curatos in pagis exolevit, & ob inhabilitatem ruralium Pastorum, fortè non cum debito fructu perfici potest; & huic incommodo, remedio aliquo competenti, per certas regiones deputatis Confessariis, succurramus.

11 Extremæ Vnctionis Sacramentum, quo ex hac vita migraturus, Oleo salutis & fidei oratione, contra inimicum, præsertim calcaneo & fini hominis insidiantem, confertur gratia & robur; eliminatum ferè ex his regionibus, nunc iterum revocatum & in suum gradum & usum repositum esse volumus. Et ne hic difficultas aliqua remaneat, Nos, pro Episcopali nostro munere, omnibus & singulis Pastoribus Oleum sacrum, in hos usus confectum in die Cœnæ Domini, seu feria quinta hebdomadis majoris ante Pascha, secundum morem Sanctæ Ecclesiæ distribui curabimus, ad quod reverenter decenterque suscipiendum, omnes & singuli Pastores honesta vascula cum tribus receptaculis præparata habeant, & in decenti loco Templi reverenter custodiri curent.

CAP. IV. De Ornatu & Munditie Templorum & sacratorum locorum.

Merito quisque bonus, & honoris Dei zelator, dolenti animo aspicit publicum illum divini cultus & puritatis exterioris neglectum, qui communiter fere in templis Diocesis Nostræ conspicitur; & summam erga Deum & res divinas irreverentiam arguit, dum sancta Tempia & Altaria, in quibus sacratissima illa Victimæ incruenta pro totius mundi peccatis Deo exhibetur, ita situ, fuligine & squalore obsita sunt, ut merito iram Dei excitare & cuius homini, Deum amanti, horrorem incurere debeant. Hinc ad iram Dei & varias calamitates avertendas, quas Deus immittere solet, quando in Templo sancto suo, ubi ipse non quasi conclusus, neque naturæ immensitate, qua ubique est, sed efficaci quadam assistentia, providentia, opitulatione, benignitate, & in SS. Eucharistia, singulari ac corporali sua præsentia existit; non omni qua par est interiori reverentia, modestia & religione, exteriori verò cultu, munditie, & nitore colitur, honoratur & adoratur: moneamus & hortamur omnes & singulos, quorum hæc in quibuscunque Ecclesiis & piis locis cura est, & sub arbitraria pœna iis injungimus, ut in Templis & Sacellis, & circa Tabernacula, Altaria & Baptisteria, & alia sacratoria loca, majorem nitorem, munditiam, elegantiam,

Suff. 23.
De refor.
Decreto
De observandis & evitandis in celebrat.

Inc. 5,
v. 14, 15.

Agg. 1.

psal. 10.

v. 4.

Habac. 2.

v. 20.

Chryf.

hom. 1. Da

verb. 15a.

c. 6. Vidi

Domini

num. 4.

hom. 4.

De incom-

preh. Dei

nat. con-

tra An-

magi

21

12 Reg. 7.
v. 2.
1 Paralip.
17. v. 1.

tiam, ornatum procurent, ne arca Dei non solum sub pellibus, sed etiam sub fordibus habitare dicatur. Hic, cum universi qui se omnia de manu Dei accepisse cognoscunt, tum vero Ecclesiastici qui beneficiis & opibus ab Ecclesia ornantur, suam erga Deum fidem, charitatem, reverentiam & gratitudinem ostendant.

C A P. V. De Vita & Honestate Prælatorum & Clericorum.

Cum vero Religionis optima sit reformatio, Præsulum ac Prælatorum Ecclesiæ, Sacerdotum, ac Clericorum bona vita; sine qua, tarda, difficilis ac pœne nulla erit reformatio, cum in Sacerdotum ac Clericorum crimine sit causæ imperitæ plebi videatur, cur hæreses non deferantur; maxime, dum, in Dicecesi Nostra, ea hæctenus in accusationem contra plerisque adducta sunt, quæ nec negari nec defendi possunt; facileque consequatur, ut, quorum vita contemptui est, eorum quoque doctrina proculcetur: Hinc Nos curam Nostram Episcopalem adhibere, & securam ad radicem ponere cupientes; illa, quæ de vita & honestate Clericorum, sacris Canonibus & Conciliis, præsertim Concilii Tridentini, & Conciliorum Provincialium ac Diocesanorum, Colonienſium ac Osnabrugensium decretis statuta sunt & ordinata, omnibus, pro diligenti observantia, proposita & serio commendata esse volumus.

C A P. VI. De Simoniacis.

Vbi ingressus ad Ecclesiam & ejus officia vel beneficia vitiosus est, & præsumpta Spiritus sancti circumventio, ejusdem influxum & cooperationem impedit; nihil bonum sanctumque subsequi potest, sed id solum quod ad gehennam ædificat, & damnationem operatur. quod eo magis in publicis Ecclesiæ ministris evitandum est, quo ab his; detrimento publico & privato, periculosius & damnabilius in isto genere erratur; dum spiritualia aut iis annexa exitioso conatu & damnabili nundinatione emuntur aut venduntur; quæ ab impio & funesto suo autore Simonia nuncupatur, 2 gravissimumque crimen censetur. Quæ Simonia, cum à radice omnium malorum, cupiditate, & avaritia quæ Idolorum servitus nuncupatur, procedat, & suos auctores cancroſo vulnere miserrime depascatur, ut propterea ab Ecclesia Dei, 5 quæ domus orationis est, non spelunca latronum, aut nundinas exercentium, omnino sit expellenda: Hinc Nos, constitutionibus Ecclesiasticis inhærentes, & omnes conatus, tractatus, intercessiones, pactiones, consequendi, emendi, vel vendendi spiritualia vel iis annexa, & inde subsecutas Provisiones, Electiones, Nominationes, Con-

firmationes & Dispositiones quascunque, quæ præcedentibus temporibus contigerunt, vel in posterum attentari aut præsumi possent, irritantes & annullantes, & ipso jure talia esse declarantes, hujusmodi, Simoniacos, secundum terminos 6 Juris & Pontificias sanctiones, beneficiis & officiis Ecclesiasticis, omnibusque emolumentis inde procedentibus privatos, & præterea excommunicationis pœnæ subjacere declaramus; à qua, secundum antiquas & novas Constitutiones Canonicas, non nisi per Summum Pontificem, & Nos, speciales desuper sub certis modificationibus facultates habentes, absolvi poterunt.

C A P. VII. De Beneficiatis non Residentibus, Ordines debitos non suscipientibus, pueris & inidoneis, &c.

Magnum præterea & damnabilem, nec temporibus nostris tolerandum abutulum in Ecclesiasticis beneficiis comperimus, ut multi, illa obtinentes, vel absentes sint, 7 vel Ordines Ecclesiasticos, beneficiis & officiis ex fundatione annexos, non suscipiant, aut alias pueri, inidonei, & inqualificati sint, multique longa annorum serie beneficia obtinuerint, quorum ne quidem institutiones ac fundationes sciant, quæque etiam interdum penitus obliteratæ sint & suppressæ; 8 altaria vero, & alia pia loca, cum ipso divino cultu & debito officio, omnino negligantur, adeo ut in isto genere omnia confusa esse animadvertamus, & quod ad laudandum & placandum Deum est institutum, ad majorem ejusdem cedat offensionem & contemptum, magnoque populi scandalo & divini nominis irreverentia, Ecclesia dignis ministris destituatur, & beneficia indigne recipiant, qui nullum officium præstant, ad animarum certam perniciem, eorum qui indigne conferunt, & recipiunt. Hinc renovare cogimur ea, quæ de beneficiorum collationibus, 9 dignis & qualificatis facienda, & de 10 personali debita servitutis ministerio Deo & Ecclesiæ præstando (quod residentiam vocant) tam jure communi, quam diversis Conciliis & Summorum Pontificum sanctionibus statuta sunt & ordinata; quod ipsum diligenter, & sub obestatione divini judicii, Ecclesiarum Prælati, & quibuscunque collatoribus aut jus patronatus obtinentibus, injungimus & commendamus, sine exceptione observandum. 11 Quorum negligentiam & infidelitatem Episcopali Nostra sollicitudine & auctoritate supplere curabimus; eorum vero beneficiorum, quæ indignis collata sunt, indagationem, & respectu suspensionem, privationem, restitutionem, & ad terminos juris mentemque fundatorum reductionem, Nobis reservantes, & Noſtro in spiritualibus Vicario diligenter commendantes.

1. 9. 1.
per tot. &
hoc tit.
De Simon.
7 c. ex rati-
one c. in-
decorum,
Erc. qua-
ris. De
arat. qua-
lit. & ord.
præf. c. su-
per inordi-
nata. De
Præbend.
Ergo dign.
& extra v.
excohabilis
De Præb.
Ergo digni-
tatis. c. grave
nimis. & c.
super inor-
dinata. De
Præb. &
digni. c.
nihil. De
electi.
11. ad hæc,
de præ-
bend. Ergo
digni. c.
quia non
nulli. c.
relatum.
c. conque-
rent. c. ex
parte. &
tot. tit. de
Cler. non
resid. c. ex
parte, de
offic. Vic-
arii c.
per venit.
ii. 2. de
appell. c.
im. de re-
script. in
6. Can.
Sancto-
rum, di-
stinct. 70.
1. generaliter
sancti-
mus. C. de
Episc. &
Cler.
11 Conc.
Trident.
sess. 7. c. 3.
de reform.
& sess. 21.
c. 3. de re-
form. &
sess. 24.
c. 12. de
reform.

1. c. patet
1. 9. 7.
c. sicut Si-
moniaca
Ergo tot. tit.
ex. de Sim-
mon.
1. 1. Tim.
6. v. 10.
Ad Co-
l. 3. v. 5.
1. Matih.
21. v. 13.

1 Cor. 3.
v. 16. &
6. v. 15.
16. 19.
2 Cor.
6. v. 16.
Eph. 5. v.
30.

3 Can.

11. 13.

14. 16.

17. & 10.

18. 1. cor.

tit. de co-

hab. Cler.

& mulie.

& tit. de

Cler. con-

jug. Conc.

Trid. sess.

25. c. 14.

de refor.

Conc. Ba-

sil. sess.

20. Conc.

Provinc.

Mog. anni

1549.

Tvever.

an. 1548.

Conc.

Prov. Col.

sub Conr.

Arch. c. 1.

sub Conr.

Card.

Portuen.

c. 2. sub

Hen. c. 9.

& 15.

sub Theo-

dor. c. 1.

sub Nic.

Card.

Cis. 8.

12. sub

Adolpho

III. Synod.

Osnab.

sub Franc.

an. 1553.

Hildesh.

an. 1524.

Monast.

an. 1613.

heum qui.

& aurb.

multo

magis, l.

sacris Ca-

non. & l.

omnem.

42. c. de

Episc. &

Cler. No-

vel. 22. c.

42. Sed &

si quis.

CAP. VIII. De Concubinariis Clericis, eorum focariis, & spuris; ut eos neque ditent, neque dotent, neque domi alant, nec beneficiorum fructus iis relinquunt, directe vel indirecte.

I Nter illa vero vitia quæ celari non possunt, cum nihil tam detestabilem vilemque Clericum faciat, quam foedum illud carnis vitium & Concubinatus apertus, quo se illi, qui *templa Dei*, ministri filii Virginis, & *membra Christi* esse debebant, *membra diaboli* & *meretricis* faciunt; & populum, quem exemplo vitæ bonæ, tanquam salis confractione, erudire ac servare tenebantur, scandalosæ vitæ offendiculo perdunt; aded, ut à plerisque prudenter animadversum sit, cum primum in nostra Germania Sacerdotes, effractis modestiæ retinaculis, contubernaes ducere, aut apud se retinere, prolemque procreare ceperunt, contemptum Sacramentorum & in S. Eucharistia titubationem inchoatam, erroreque alios atque alios subsecutos fuisse, ut propterea detestabilem hunc Concubinatum, qui per Diocesim Nostram nimium grassatus fuit, & focariarum ac pellicum in domo detentionem, gravissimis pœnis, & sanctionibus Conciliorum generalium & Provincialium, ac Diocesanorum Colonensium ac Osnabrugensium, atque etiam in ipso Iuris Canonici ac Civilis corpore contentis, ac demum sacrosancti Concilii Tridentini Decretis explosum, reprobatum, & damnatum, evellere & eradicare modis omnibus cupiamus, ejusdemque Concilii Tridentini decretis inherentes, ea omnia, quæ de concubinatus detestatione, persequutione, pœnis & censuris, statuta sunt, in realem viridemque observantiam traducta esse volumus.

2 Cum vero vitium illud tam turpe habeatur, ut merito patroni & quicumque Laici Parochiani pro suo interesse illud accusare possint, atque adeo intolerabile sit, ut nullam excusationem mereatur, aut tergiversationem admittat; utque etiam ordinariis locorum concedatur de jure, ac quovis meliori modo, sola facti veritate inspecta, sine strepitu & figura iudicii, contra Concubinarios procedere: Omnibus & singulis quoquo modo huic vitio innodatis injungimus & mandamus peremptorie; ut sub expressis & arbitrariis nobis pœnis, quamprimum suas pellices domo ejiciant, tamq; procul à se eliminent, ne ulla suspitionis peccati scandalive causa atq; occasio amplius superesse possit. cujus executionem Nostro in Ipiritualibus Vicario generali serio committimus & commendamus. Nolumus vero, ullum, qui concubinatus nota infamis fuit, ad officium aliquod posthac admitti, aut

in eo tolerari, nisi ex speciali nostra rescripto.

3 Cum etiam multas spurcitiarum reliquias luxuriosa præcedentium temporum calamitas copiose nimis nobis effudit, quæ agrum Dominicum non secus quam locustæ Ægyptiacæ depascuntur, ac patrimonium Christi fœde depeculantur; renovare cogimur ea quæ à Sacris Canonibus & Provincialibus Conciliis salubriter statuta sunt; ac prohibemus omnibus & singulis Ecclesiasticis personis, cujuscunque status & qualitatis sint, ac quocunque nomine censeantur, ne de patrimonio Christi, seu præbendarum, beneficiorum, aut officiorum suorum fructibus, concubinas suas, aut eorum filios vel filias, dotent aut ditent, testamento vel alio modo, expresse vel simulate, fructus beneficiorum, quos ante mortem perceperant, aut annos gratiæ quos vocant, aut aliquid aliud, quod post mortem se accepturos sperabant, iis relinquunt; neque eorum nuptiis aut exequiis intersint, iisque pompam & solemnitatem aliquam adhibeant, nec manusdeles aut executores inveniunt, per quorum manus, spuris vel concubinis, fructus Præbendæ, Beneficii aut officii suppeditentur. Qui si ministri iniquitatis esse voluerint, & contra hæc quicumque attentaverint, præter pœnas Nobis arbitrarias, ipso facto Excommunicationis vinculo se innodatos cognoscant, & sic legare aut donare præsumentes, Ecclesiastica careant sepultura, ac legatum Ecclesiæ cedat à qua processerit.

4 Ne vero impudicis patribus ex sua libidine perceptæ voluptatis, spuriorum aspectu, refricetur memoria, maleficus ardor permaneat, aut peccatorum & scandalorum occasio amplius alatur; illud serio injunctum volumus omnibus & singulis lapsis, ne impudenter spurios suos apud se domi retineant, neve filias domi in circuitu mensæ & in publico, compositas & circumornatas in similitudinem templi, populo ostentent ac venditent; nec, de patrimonio Crucifixi, veneris triumphum intituant; sed magis sciant, quod D. Conradus Archiepiscopus Colon. in suo Provinciali Concilio graviter monet, ipsos, qui patrimonium Christi in usus malos, cum suis peccando focariis, expenderunt, teneri ad satisfactionem Ecclesiæ, cujus bonis taliter in suis concupiscentiis & peccati illecebris sunt abusi. Quod sicuti perpetua Ecclesiæ auctoritate ac lege fuit receptum; sic ii diligenter considerent, qui per hujuscemodi fœdam consuetudinem, non Ecclesiæ, quæ ipsorum ministeria abominatur, sed magis diabolo hactenus servierunt, & ideo nec fructus juste percipiunt, nec suos faciunt, & ad restitutionem perceptorum obligantur:

50. Can. eos vero qui &c. ministri, & tota dist. 81. c. cum scriptum est. De Presb. c. sicut. De c. hab. Cler. & multi. & ibid. Innoc.

4 Conc.

Provinc.

Colon. sub

Conrada

Card.

Portuen.

c. 5. &

15. Stag.

Conrad.

Archie-

pis. Col. c.

1. Sifridi

Archie-

pis. Col.

c. 2. Theo-

dorici Ar-

chiep. Col.

c. 1. Stat.

Provinc.

Henr. Ar-

chiep. Col.

c. 9. Conc.

Provinc.

Col. sub

Adolpho

111. in

conjuris

& decr.

11. de con-

cub. Con-

stit. Pii V.

de anno

1571.

ejusd. de

Anno

1572. l.

sacris Ca-

non. De

Episc. &

Cler. No-

vel. 89. c.

15. qui.

mod. nat.

off. sui.

1. Conc.

Provinc.

Colon. sub

Conrada

Card.

Port. c.

15. Conc.

Provinc.

Colon. sub

Henrico

Archiep.

6. Conc.

Later. sub

Leo. 10.

c. 1.

7. c. 1.

1. can.

nullus.

c. præter-

eribus.

scm. dist.

32. Can.

Sacerd-

tes. dist.

ligantur : quæ qualis ipsis post hanc vitam futura sit , ubi ad novissimum quadrantem solutio exigetur , ipsis cum timore & tremore cogitandum relinquatur , ¹ si annos æternos in mente habere velint.

5 De beneficiis vero & ministeriis filiorum impudice natorum hoc observari volumus , quod tum de jure ² communi Canonico , tum sanctissime à Concil. ³ Tridentino est statutum. & ne ullus ad officium quodcumque sine Nostro speciali consensu posthac admittatur.

C A P. IX. De Testamentis Clericorum, & Executoribus ultimarum voluntatum.

Volumus etiam & mandamus , ut mande- des seu Executores Testamentarii quorumcumque Clericorum seu beneficiatorum Civitatis & Diocesis Nostræ Osnabrugensis , de dispositione facta , bonisq; inventis infra unius mensis spatium , post uniuscujusque obitum , & deinde de executione perfecta , infra unum annum , à tempore obitus sequentem , Nos vel Officiale Nostrium certiore reddant.

C A P. X. De habitu Clericorum & Barbis.

1 A D Clericalis ordinis præstantiam , vitam , decentiam ac honestatem spectat , competens statui & ordini , corporis exterior habitus ; qui personarum qualitatem , & distinctionem à communi plebe , designet ; & dignum justumque est , ut , cujus stipendiis vivunt , ejus quoque habitu , testera , insigni- que utantur. Hinc omnino volumus , ut ad militiam Christi & ministeria illius sponsæ Ecclesiæ adscripti , istius militiæ & Regis gloriæ insignia ⁴ præ se ferant , ac coronam Cleri- calem aperte gerant ; Capillorum vero & Bar- bæ rasura tali utantur , ut nec comæ nimium producantur , aut in occiput rejiciantur , nec Barbæ & mystaces ita alantur , ut ex superiore labro in alas excrescant , aut ultra ipsum la- brum in os propendeant ; ne Sacerdotes , cor- pus Dominicum & sanguinem accepturi , per contactum barbæ , irreverentiæ peccatum in- currant ; & ut hæc in aliis Clericis sacræ mili- tiæ adscriptorum , non verò sæculo militan- tium , symbola sint.

2 Ecclesiastici vestibus longis utantur , ⁵ sec- undum status sui exigentiam , non nimis pre- ciosis , neque superfluo cultu ornatis , aut ali- qua levitate aut singularitate notandis , in co- lore aut brevitate nimia , aut scissura , aut for- ma peregrina ; adeo ut omnis superbia , vani- tas & curiositas absit ; honestas vero , frugali- tas & simplicitas , Clericali ordini conveniens , ubique sit conspicua.

3 ⁶ A crapula vero & commestationibus , ludis prohibitis , & quibuscumque commerciis sæcularibus , serio abstineant.

C A P. XI. De Præpositis.

P Ræpositos ⁷ , tanquam præcipuos Eccle- siarum Prælatos , ex Iurisjurandi à se præ- stiti religione , illa præcipue cura tangere de- bet ; ut res , bona , jura , & privilegia Ecclesia- rum defendant ; bonas consuetudines observa- ri , malas eliminari curent ; & , quæcumque ad utilitatem & pacem Ecclesiarum quovis mo- do pertinent , curare & promovere , eaque ab omni damno & injuria vindicare & conserva- re satagant. Et quia ex nobilioribus membris Cathedralis Ecclesiæ Nostræ desumuntur , & ampliores fructus Ecclesiasticos percipiunt , Nobisq; ex officio conjuncti sunt , ea diligen- ter curent , ad quæ , ratione officii sui & juris- jurandi , sunt obligati ; in rebus verò difficilio- ribus & quæ vires eorum superant , ad Nos & nostram Episcopalem auctoritatem recurrant.

C A P. XII. De Decanis.

1 D Ecanorum ea sit cura , ⁸ ut , quæ ab omnibus & singulis Canonicis , Vica- riis , ac templi Officiatis ac ministris debentur , in residentia personali , ordinum debito- rum secundum beneficii aut officii qualitatem susceptione , divino officio , vitæ honestate , de- centi habitu , fidei integritate , fidelitate & of- ficii executione , &c. diligenter observentur ; Contumacium vero , inobedientium , & ne- gligentium excessus , secundum vigorem di- ciplina Ecclesiastica corrigantur ; crimina vero publica , luxuriæ , ebrietati , infrugalitati , aleæ , rixis , carnis vitio & ignaviæ deditorum , secundum censuram Canonum , seclusionem à sacris , fructuum subtractionem , ac similibus modis puniantur.

2 Ad hoc capitula , quæ vocantur discipli- næ , multum valebunt , si cum nomine rem ipsam conferent , ac in iis de vitæ Canonice morumque disciplina & rebus sacris serio & efficaciter tractetur.

C A P. XIII. De Archidiaconis.

A Rchidiaconorum ⁹ , qui in subsidium & relevamen sollicitudinis nostræ Episcopa- lis , tanquam ministri cooperatores , admissi sunt , eam cum primis curam esse volumus , ut Nos opere & officio juvent ; in Synodis suis Archidiaconalibus scopum & finem rectum diligenter observent ; ad Dei gloriam , hono- rem & utilitatem Ecclesiæ , & animarum salu- tem omnia dirigant ; commissarios suos , viros inculpatæ vitæ , in sacris ordinibus constitu- tos , graves , modestos ac Deum timentes , ha- beant :

R 4

6 Ad Ro- man. 13. Tot. tit. de vit. & ho- nest. cleric. & præfer- tim, c. à crapula. c. clericis. il. 2. & seq. ex li- teris ex. & in Clem. dist. 35. per tot. & Can. fir- ante om- nia. Conc. Trid. sess. 22. de re- form. c. 1. Stat. Contr. Ar- chiep. Col. c. 3. Stat. Adolphi 3. Arch. Colon. an. 1549. medio scri- tio. Que- rela est. Can. immova- mus. & per tot. dist. 60. Conc. Col. an. 1549. sub Adol- pho III. medio 3. S. vide- mus. & an. 1536. sub eod. p. 3. c. 2. quæ 15. 9 tot. tit. de off. Ar- chid.

Conc. v. 6. 2 tot. tit. de fil. presbyt. ord. 3 Sess. 25. de ref. c. 15. 4 can. pro- hibite. & canon li- ceat. il. 3. dist. 23. Can. duo sunt. 12. g. 1. c. si quis. c. cle- ricus. & c. leri. de vi. & honest. cler. 1 Can. non li- ceat. dist. 23. Clem. 2. de vit. & honest. cler. Conc. Trid. sess. 14. de re- for. c. 6. Conc. Provinc. Col. sub Conrado Archiep. c. 4. & 9. Stat. Si- sfridi. A. Colon. c. 1. Stat. Henric. A. Colon. de anno 1307. c. 14. & an. 1321. c. 2. & 3. Stat. VValtra- mi. A. Co- lon. cap. 4. & 18. Stat. VVilhel. A. Col. c. 1. 5. & 30. Stat. Frid. A. C. l. c. 4. Conc. Pro- vinc. sub Herm. 5. c. 26. p. 2.

c. irri-
fragabili
§. ult. De
offic. ordi-
narii. c. li-
cei. de pœ-
ni. Gra-
vis que-
rela est
Conc. Pro-
vinc. Co-
lon. sub
Adol. ho
III. De of-
ficior. per-
functione.
medio 3.
ad refor.
§. tam
quod pas-
sim. §. 2.
segg. §.
medio 4.
seq.
Conc.
Trid. sess.
25. de re-
form. c. 3.
Conc.
Provinc.
Colon.
anno
1536.
p. 13. c. 8.
Stat.
Adolph.
III. sup.
cit.
Conc.
Provinc.
Colon. an.
1536. p.
3. c. 3.

beant: excessus Canonice puniant, ab omni avaritiæ sordiumque specie abstineant: pœnas pecuniarias (si quando aliæ non ita proficiunt) ad salutem tamen animarum referant, nec pœnitentiæ loco pecuniam emungant, neque vitiõrum correctiones, pecuniæ, muneris, aut alterius rei gratia dissimulent; ne subditi nostri pauperiores simul & deteriores fiant, aut spoliëntur magis quam emendentur. Quod si interdum Canonica sanctione, pecuniaria pœna aut decreta aut decernenda sit; ea in pios tantum usus, eo ipso quod exacta fuerit, assignetur; ne magis avaritiæ quam correctionis causâ extorta censeatur: serioque apud se reputent, nihil gravius Prælatos coram Deo accusare, quam si peccata, ob pecunias & munera, relinquunt impunita. In his vero omnibus observent, quæ tam à sanctis Canonibus, quam generalibus & Provincialibus Conciliis optime sunt constituta.

C A P. XIV. De aliis Ministeriis & gradibus Ecclesiasticis.

Sunt deinde in Ecclesiis, præter Præpositos, Decanos, Archidiaconos, & diversi ministrantium gradus; nempe Scholastici, Cantores, Thesaurarii seu Sacristæ, Canonici, Vicarii, atque id genus alii. Interpretetur quisque vocabulum suum, & curet esse quod dicitur, secundum veterum Patrum institutionem & regulam: atque eo solo fecerint, ut vocationi suæ, & Nostræ ac piorum omnium expectationi, magna ex parte respondisse videantur.

C A P. XV. De Parochis, Sacellanis, Sacerdotibus, Vicariis & aliis Ecclesiæ Ministris.

Qvanta vitæ innocentia & munditiæ præditi, quanto zelo inflammati, quanta perfectionis Christianæ puritate conspicui esse debeant, qui alios mundare, accendere, & perficere cupiunt, quod Parochorum & Concionatorum, & eorum qui animarum curam gerunt, & universim Sacerdotum, Sacellanorum, Vicariorum, & aliorum Ecclesiæ Ministrorum, & qui populi peccata comedunt, seu publico Ecclesiæ stipendio sustentantur, proprium est, dum attenta mente consideratur, simul etiam facile animadvertitur, quantum in Nostræ Diocesis Pastoribus aliisque Ecclesiasticis desideretur, quos tam procul à vocatione & status sui obligatione discessisse videmus. Quorum omnium salutem & veram vitæ morumque conversionem, qua populo præluere, & illum in viam salutis reducere possint, cum ardenti desiderio sitiamus, nec quenquam abjicere, sed quantum fieri potest, præsentī necessitati mederi, & futuro periculo modis omnibus occurrere cupiamus; cum seria periculi statufque sui admonitione, invi-

tamus omnes & singulos, qui præcedentium temporum injuria atque incuria in quovis errorum aut opinionum labyrinthos, aut carnalēs naves, prolapsi sunt, ut Nobis, aut Vicario Nostrō in Spiritualibus, ac illi adjunctis Theologis ac viris prudentibus & religiosis, pro instructione & suorum errorum revocatione & criminum abolitione se stant, & ad Dei gratiam & sanctæ Matris Ecclesiæ unitatem redeant. In quo omnibus & singulis, ad cor verè converfis & pœnitentibus, eam, quam hæcenus ceteri Curati experti sunt, gratiam & benignitatem Nostram offerimus; contra inobedientes, & statui Ecclesiastico conformiter non viventes, aliter processuri.

C A P. XVI. Ne Parochi sordida ministeria usurpent.

Nolumus vero, Pastores & Curatos rurales opera sordida & servilia subire, ita ut magis colonorum & rusticorum hominum, quam Pastorum & Ecclesiæ ministrorum speciem præ se ferant. In quem finem intendimus, quantum fieri potest, ut prædia eorum & agri pro competente censu elocentur, ad honestum victum & vestitum eis suffecturo.

C A P. XVII. De Parochorum victu competente seu honesto.

Illud etiam compertum est, quosdam Pastoratus, cessantibus nunc quotidianis oblationibus, & pia majorum liberalitate, ac forte etiam subtractis & incorporatis decimis, censibus, juribus & obventionibus, majorum liberalitate ac munificentia, ad Pastorum sustentationem & solatium destinatis, ad eam tenuitatem redactos, ut fere sufficienti & honesto vitæ subsidio destituantur; quo fit, ut, magno animarum detrimento, pauci reperiantur idonei, qui hujusmodi Ecclesiis præfici desiderant, & multi ad sordida & servilia opera, non levi Ecclesiastici ordinis dedecore, converti cogantur. Cui incommodo occurrere volentes, constituimus & mandamus, ut omnes & singuli Parochi & Pastores, proventus Ecclesiarum suarum, Altarium & Beneficiorum, Nobis aut Nostrō in Spiritualibus Vicario generali, quamprimum exhibeant, cum designatione & intimatione, si quid ab aliis detineatur, aut usurpetur, ut ratio certa iniri possit, qua pastoralī necessitati ac honori, quantum fieri potest, succurratur.

C A P. XVIII. De juribus Ecclesiasticis, piis Foundationibus & officiis conservandis.

Qvibus etiam, & universim aliis Prælati Ecclesiasticis, & Ecclesiarum ministris, serio

1. Of. 4.
v. 8.

c. ipsi Sa-
cerdotes.
I. 9. I.

extin-
panda. de
prob. &
dign.

ferio commendatur, ut diligenter adlaborent, quo Ecclesiarum jura integra permaneant, & sacrarum foundationum obligationes non obli- terentur, neve constituta à fidelibus Missarum officia aut piæ fundationes, ministrorum negli- gentiâ, omittantur, aut aliorum etiam infideli- tate intervertantur; & sicubi aliquid tale fa- ctum esse meminerint, aut indagare potue- rint, similiter ad nos quamprimum fideliter referant.

C A P. XIX. *De libro Pastoralis seu Cæremoniali.*

Q Via etiam rituum ac cæremoniarum in Sacramentorum administratione magna est variatio; hanc præcavere cupientes, aucto- ritate Serenissimi & Reverendissimi Principis & Archiepiscopi Coloniensis, tanquam Me- tropolitani, Anno 1614 Coloniæ impressum & approbatum librum Pastoralem, quem Agendam vocant, ita omnibus commenda- tum cupimus, ut illo solo in Sacramentis dis- pensandis & sacris officiis ac cæremoniis per- ficendis utantur, ut nec Sacramentalibus nec essentialibus alicujus Sacramenti quicquam unquam detrahatur, vel, contra morem Eccle- siæ Catholicæ, aliquid in iis immutetur: in- jungentes omnibus & singulis Pastoribus, Vi- cariis & Sacellanis Curatis, ut hunc librum non solum habeant, sed & diligenter revol- vant, sibi que usû & lectione frequenti fami- liarem reddant: & requirimus omnes & sin- gulos, quibus visitandi Ecclesias munus in- cumbit, ut in hanc rem oculos diligenter in- tendant, ne qua Parochia isto libro careat, sed bina exemplaria habeat; & contra negligen- tes debitam animadversionem adhibeant.

C A P. XX. *Sacramenta & Parochialia officia quomodo gratis administranda.*

Q Vamvis in Pastoribus & Curatis repre- hensibile non sit, illud, quod post Sacra- mentorum administrationem sponte offertur, accipere, aut, quod juxta laudabilem consue- tudinem eis debetur, peracto ministerio pete- re; caveant tamen, ne directe vel indirecte pa- ctionem aut contractum aliquem incant, pro Sacramento administrando, prædicatione, se- pultura, vel quovis alio Pastoralis officio pera- gendo, aut ne contra voluntatem pauperum hominum aliquid ab ipsis extorqueant, aut pretia certa præfigant, aut in iplo baptisinate infantium, qui legitime nati non sunt, ulterius aliquid & quasi in pœnam (quod factum esse, illibenter intelleximus) requirant; ne avaritiæ & Simoniacæ à Canonibus inflictae pœnæ reatum incurrant, ac etiam, pro modo culpæ, arbitrariè à Nobis puniantur. Superfluum etiam & ab Ecclesiæ Catholicæ usu alienum censemus, in quorumvis rusticorum & puero-

rum sepultura conciones adhibere; sed poterit populus, post cæremonias Catholicas, admo- nitionem succinctam mortalitatis, ac cohor- tationem solitam ad preces, deinde dimitti.

C A P. XXI. *In Matrimonio contra- hendo servetur decretum Concilii Tridentini.*

D E Matrimonio autem servetur decretum Concilii Tridentini sess. 24, c. 1, de re- format. mat. Sciantque omnes qui aliter, quam præsentè Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu ordinarii licentiâ, & duobus testi- bus præsentibus, matrimonium contrahere at- tentabunt; hujusmodi contractus nullos & ir- ritos esse; nec matrimonium nec prolem inde natam legitimam esse: quod, à Parochis, sub- ditis suis publicè denunciari mandamus, & ut diligenter ea observentur, quæ ibidem, de pro- clamacionibus faciendis, & præparatione ad sacrum Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramen- tum, sponis insinuanda præcepta sunt.

C A P. XXII. *SS. Sacramenta ne in privatis aedibus administrantur, sine gravi causa & expressa licentiâ.*

V Olumus etiam, in hoc SS. Sacramentis debitam majestatem & reverentiam ob- servari, ne sine justa causa, necessitate, aut Ordinarii licentiâ, in privatis aedibus mini- strentur aut celebrentur, sed iis locis, quæ ad hoc publico usû destinata sunt, & quæ mini- strantes ac suscipientes, omnesque circumstan- tes, in fide, charitate, ac debita reverentia magis accendant, omnique cultu ac religione sanctissime peragenda admoneant.

C A P. XXIII. *Vt decor domus Domini conservetur, & habitus decentia in administratione SS. Sacramentorum.*

Q Vapropter, quod supra quoque insinua- tum fuit, omnino volumus & manda- mus, ut Tabernacula, Baptisteria, Altaria, & similia loca, nitida omnique cultu adorna- ta sint; quæ Parochorum perpetua inspectio, Aedituorum aut Custodum diligens cura erit: & ut, Sacramentum aliquod administraturus, decenter indutus sit vestibus sacris, ad minus superpelliceo & stola; & qui illi adfistit, sive Clericus sive aedituus aut Sacristanus, mundo & decenti superpelliceo sit indutus; qui Sa- cerdoti oranti totius Ecclesiæ nomine respon- deat.

C A P. XXIV. *De non admittendis Sacerdotibus, nisi cum approbatione.*

N On liceat vago, ignoto aut extraneo Sacerdoti, Missarum celebrationem, vel etiam

De con-
secrat. dist.
1. c. 1.
12. 14.
15. & per
rot. c. sic
ut. c. mis-
sarum. c.
hic ergo. c.
nullus
presbyt. c.
non oportet. c. Cla-
ricos. De
consecrat.
distinct.
1. Cle-
ment. de
baptismo.
Stat. Si-
fridi A.
Colon. c.
8. Conc.
Provinc.
sub Herm.
V. part. 7.
Conc. Pro-
vinc. sub
Adolpho
III. Dete-
standa.
1 Conc.
Trid. sess.
22. de ol-
serv. &
evitandis
in celeb.
Missæ.
idem sess.
23. c. 15.
& 16. de
ref.

1 c. Ba-
puzandos.
c. multi-
c. c. pla-
cui. &
alii cum
segg. 1.9.
1. c. cum
in Ecclē-
siæ. c. cum
ad Apo-
stol. de
Simoniac.

etiam cuius alteri Sacerdoti, Confessionis vel aliorum Sacramentorum administrationem, aut Verbi divini prædicationem in Ecclesiis Nostræ Diocesis assumere, nisi examine præmissio, & approbatione Nostra, vel Nostræ in Spiritualibus Vicarii, in scriptis obtenta.

CAP. XXV. *De libris necessariis Parochorum, & Catechismo.*

Hortamur etiam Parochos, ut libros necessarios & ad officium suum exequendum commodos, sibi comparent, ac, præter utrumque Testamentum, approbatæ translationis, Latinæ & Germanicæ, Sanctorum Patrum libros, quoscunque pro facultatibus suis poterunt, comparare sibi studeant; præsertim eos, qui pastoralia officia exercent, & ad hæc in scriptis suis excolenda collimarunt, ac præsentis statui Ecclesiæ ad defensionem fidei & restitutionem morum ac disciplinæ Christianæ plurimum conferunt, quorum indicem, si ita res postulet, ipsis posthac dabimus.

2 Parochi quoque & Curati, Catechismum Canisii, quem edi & distribui curavimus, diebus Festivis ac Dominicis, tempore congruo, pueris & rudi populo proponant & diligenter explicent.

3 Volumus quoque, ad incertitudinem omnem multaque incommoda præcavenda, ut omnes Pastores & Curati tres libros habeant, in quorum uno baptizatorum nomina cum patris, cum anno & die & parentum nominibus, scribantur; si sit autem illegitimus partus, matris tantum nomen adscribatur.

4 In secundo referantur nomina eorum, qui matrimonio junguntur, similiter cum anno, die, omnibusque parentum seu proximorum cognatorum, & aliquot testium.

5 In tertio, juxta ordinem domorum, vicinitatum ac familiarum, conscribantur omnium & singulorum Parochiali curæ subjectorum nomina, cum die natiuitatis & baptismatis; & si ad rationis annos pervenerint, singulis annis per notam illis adscribatur, qui peccata sua confessi fuerint circa Pascha & communionem susceperint, & aliorum nomina qui confessi non fuerint nec communicaverint, & infra Pascha & Pentecosten Nobis, aut Nostræ in Spiritualibus Vicario, in scriptis exhibeantur.

CAP. XXVI. *De promulgatione & insinuatione rerum necessariorum à Pastoribus faciendæ.*

His quoque Pastoribus & Curatis serio injunctum volumus, ut, quæ in statutis Synodalibus, aut alias à Nobis constituta & promulgata sunt, aut quæ ex Concilii Tridentini decretis ad Parochianos suos pertinent, ipsis intimare & inculcare non omitant.

CAP. XXVII. *De Provisoribus, Structoribus, seu Magistris fabrica.*

Provisoribus seu Ædilibus & structoribus Ecclesiarum & Capellarum (quos non alios quam Catholicos esse volumus,) serio injungimus & mandamus, quatenus Ecclesias, Capellas, Oratoria, Altaria, Cœmeteria, Campanas, Fenestras, Sacerdotalia paramenta, & quæcunque vasa ad divinum usum & Ecclesiæ Sacramenta deservientia, fieri, reparari, restaurari, consecrari & renovari faciant & procurent, & ad Pastorum & Curatorum requisitionem in hoc se faciles & obediens præstent; alioquin pœnam Nostram arbitrariam pro modo negligentia seu contumacia experturi.

CAP. XXVIII. *De rationibus reddendis.*

Quibus etiam sub districtione eadem mandamus, ut Ecclesiæ reditus non in alios usus extraneos convertant, & singulis annis, in præsentia Parochi & ad hoc deputatorum, accuratas & particulares rationes reddant in scriptis, conservandas in cista aliqua templi; quas, requisiti, Nobis aut Nostris ad hoc deputatis, facile exhibere possint.

CAP. XXIX. *De Archivio, Inventario, & Transumpto Literarum, Monumentorum & Registorum.*

Litteræ Originales, Registra, & alia quæcunque monumenta & instrumenta, in Archivio vel cista, tribus differentibus seris custodita, diligenter asserventur; cujus unam clavem habeat Pastor, alteram Senior Ecclesiæ provisor, seu ædilis, tertiam ejus Senior collega obtineat; nec unquam Archivium vel cista aperiatur, nisi singuli clavium custodes personaliter sint præsentis.

2 Præter vero summariam illam designationem reddituum Pastoralium & beneficiorum (de qua supra c. 17;) harum omnium literarum, monumentorum, instrumentorum, jurium, reddituum, obventionum Inventarium quamprimum opera Pastorum in præsentia Notarii ubique conficiatur, & paulatim etiam in authenticam formam à Notario transumatur, sicuti etiam quarumcunque rerum Ecclesiasticarum mobilium, calicum, corporalium, purificatoriorum, sanctarum Reliquiarum, vestium sacrarum, ornamentorum, librogum, aliorumque sacrorum instrumentorum, repertorium instituat, ut Ecclesiarum necessitates eò magis agnoscere ac juvare possimus.

CAP.

C A P. XXX. *De Ludimagistris.*

Magistri quarumcunque Scholarum, in Civitatibus, oppidis, ac pagis, aut aliis locis, non admittantur, nisi se Nobis, aut Nostro in Spiritualibus Vicario, præsentarint & licentiam ludum aperiendi, ac juventutem docendi, in scriptis obtinuerint.

C A P. XXXI. *De Custodibus.*

Custodes quoque seu Campanarios qualificatos requirimus; qui non admittantur nisi Catholici & approbatæ vitæ, noverintque ea quæ sui sunt officii, Pastori suo & Parochiæ fideles sint, & ab initio officii sui cum Inventario omnia recipiant, & quatenus necesse videbitur, fideiulores constituant; ac, dum divinis assistunt, aut in ministerio Templi ac Chori sub sacris officiis, cereis accendendis, necessariisve procurandis interfunt, superpelliceis induti esse debent; quod Theaurariis Collegiarum Ecclesiarum, & iis ad quos hæc cura in Parochialibus pertinet, in-junctum esse volumus; & ut diligenter caveatur, ne sacra vasa, ab iis aut aliis indignis, irreverenter contingantur aut tractentur, & ut Vestimentorum, Mapparum, Pallarum, Altarium, Corporalium ablutio, secundum communem Ecclesiæ consuetudinem ac toties fiat, ut nitor, puritas & reverentia, Deo sacrisque rebus debita, conserventur.

C A P. XXXII. *De Hospitalibus, Capellis, & aliis piis locis.*

Hospitalium quoque, Capellarum, Conventuum, Altarium, & quorumvis piorum locorum curam & restitutionem, ita ad nostram Episcopalem inspectionem pertinere scimus, ut sine reatu conscientiæ ex his negligere nihil possimus aut velimus; sicubi profanata, suppressa aut interversa, ut restituantur, & divinum officium & aliæ piæ fundationes juxta tenorem institutionum peragantur.

C A P. XXXIII. *De Commissariis, Visitatoribus & Superioribus Sanctimonialium.*

Hortamur & requirimus quoque omnes & singulos Ordinum quorumcunque Monialium Superiores, Commissarios & Visitatores, ut in vitam & mores sibi subditarum Sanctimonialium serio inquirent, quæ ad clausuram earum pertinent, studiosè observari faciant, & eas nullatenus extra monasterium vagari, sed ne quidem monasterio exire, aut clausuram ad brevissimum tempus relinquere sinant, nisi ex causis à jure expressis & Nostro consensu, in scriptis obtento.

Habitu etiam earum ad simplicitatem Ordinis Religiosi reducant, Patres aut Confessarios idoneos illis præfiant (quorum nullum sine socio residere permittimus) bis terve singulis annis Confessarios extraordinarios illis offerant. In primo ad Religionem ingressu, nullam Simoniam, in vestitionibus nulla, in professionibus vero non lauta & sumptuosa convivia, nullas particulares familiaritates, nec vicatilia quæ ipsæ secundum voluntatem suam administrant, neque alia quæ statui ipsarum & carentiæ proprii, vel paupertatis voto, contraria sunt, admittant; & omnia, quanta fieri potest accurate, ad normam regulæ (sine qua nihil recte fit) exigant.

Virorum vero Monasteriis pietatem, graves & Religiosæ vitæ congruentes mores, & sacrarum literarum studia, serio commendamus; sine quibus non tam religiosa quam vita otiosa esse dicique potest.

C A P. XXXIV. *De Examine Ordinandorum, & admittendorum ad sacra ministeria, maxime ad curam animarum.*

Volentes autem in futurum præcavere, ne ad ministerium Ecclesiæ, & maxime animarum curam, accedant ii, qui idonei non sunt; cum illud certum sit, quod Ordinatio & Institutio janua sit, per quam fit ingressus ad Ecclesiarum ministeria; qui si sit corruptus, totam Ecclesiæ œconomiam evertit: repetimus ea quæ in Concilio Tridentino¹ de ordinandorum & ad curam præcipue animarum admittendorum examine salubriter sunt statuta. Nolumus autem ullum posthac cujuscunque status ad Ordines & beneficia, maxime curata, sine hujusmodi examine admitti, provisiones autem, collationes, institutiones, investituras, aliter factas, nullius roboris declarantes.

Deputantur autem Examinatores, cum Vicario Nostro in Spiritualibus generali,

D. Præpositus Cathedralis Ecclesiæ, Sixtus à Liauckema.

D. Decanus Cathedralis Ecclesiæ, Theodorus Morrien.

P. Stephanus Pulingius, Abbas Iburgensis.

P. Nicolaus Altenhausen, Prior Dominicanorum.

P. Joachimus Ioannis Societatis Iesu Presbyter.

D. Conradus Bueren, Sacellanus curatus Cathedr. Ecclesiæ.

C A P. XXXV. *De iudicibus delegatis in partibus constituendis.*

Vetiam sumptibus litium, comperendinationibus, ac longioribus evocationibus, obviam eatur; ut & ea quæ de iudicibus delegatis in partibus constituendis, quibus præ-

¹ Sess. 7.

c. 13. de

ref. sess.

13. c. 5.

7. c. 12.

de ref. sess.

24. c. 18.

præter ordinarios locorum in partibus causæ Ecclesiæ ac spirituales seu ad forum Ecclesiasticum pertinentes committi possint, à SS. Concilio Trid. sess. 25. de reform. cap. 10. statuta sunt, in usum & praxin quamprimum deducantur, designantur in hac Synodo:

- D. Præpositus Cathedr. Ecclesiæ, Sixtus à Liauckema.
- D. Decanus Cathedr. Ecclesiæ, Theodorus Morrien.
- D. Decanus Collegiatae Ecclesiæ sancti Ioannis, David Fabricius.
- D. Iudocus Vphausen, I. V. D. & ejusdem Collegiatae Ecclesiæ Canonicus.

CAP. XXXVI. De Civibus, Incolis & Subditis Diœcesis Osnabrugensis.

Cum vero in Republica Christiana & utroque statu, Ecclesiastico & Politico, *suprema lex sit salus populi*, omnesque leges tam Ecclesiasticæ quam Civiles ad interiorem munditiam, & pacem exteriorem, ordinentur, quorum finis est, beattitudo omnium & singulorum hominum, quæ sine vera Religione & virtutis exercitio obtineri non potest; hinc mandamus omnibus & singulis Nostri subditis, Civibus & Incolis, ut, post puritatem veræ & Catholicæ Religionis susceptam, virtutis studio se dedant, publica crimina, maledicentias, blasphemias in Deum, SS. Sacramenta & Sanctos, adjurationes, imprecationes, ebrietates, commensationes, rixas, dissensiones, discordias, impudicitias, scortationes, & quæ sunt cætera opera carnis, non spiritus & virtutis, evitent; sub gravibus penis, in sacris Sanctionibus, & tam criminalibus quam civilibus constitutionibus, contentis, aliisque Nobis arbitrariis. In hanc rem etiam serio Superiores, Magistratus, Officiales, Curati, & Pastores incumbant, ne quid per eorum locordiam & negligentiam debitæ admonitionis, ac necessariæ instructionis, & respectivè punitionis & correctionis, publicæ & privatæ, prætereatur, ut Deo cultus debitus, honor & gloria, & Politico statui civilis honestas & modestia integra observentur.

Hactenus Synodales Constitutiones.

Sequitur

INSTRUMENTVM NOTARII.

In nomine Domini, Amen.

Noverim universi & singuli, hoc præsens publicum Instrumentum inspecturi, lecturi, & audituri, quod anno, à Nativitate ejusdem Domini nostri Iesu Christi, millesimo, sexcentesimo, vigesimo quinto, Indictione octava, die vero Martis, quarta mensis Martii, stylo correcto, inter undeci-

mam & duodecimam horam ante meridiem, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Urbani, divina Providentia Papæ VIII, anno secundo, in mei Notarii publici, testimonioque infrascriptorum, ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum, præsentia, finitâ concione Synodali & peractis aliis solemnitatibus, personaliter constitutus, Reverendus Admodum, Clarissimus & Consultissimus Vir, Dominus Albertus Lucecius, Illustrissimi & Reverendissimi Principis & Domini, Domini Iosephi Friderici, Dei gratia S. R. E. Cardinalis de Zollern, Episcopi Osnabrugensis, Domini nostri clementissimi, Vicarius in Spiritualibus Generalis, ac Protonotarius Apostolicus, habens ac suis manibus tenens schedulam quandam Protestationis, quam clara & intelligibili voce coram tota Synodali congregatione prælegit, lectaque mihi Notario tradidit; sui que protestatus solemniter, prout in eadem latius continetur, requirens & petens desuper unum vel plura publicum seu publica fieri & conscribi Instrumentum & Instrumenta. Acta sunt hæc in superiori domo Capitulari Osnabrugensi, coram tota Congregatione, sub Anno, Indictione, mense, die, horis, & Pontificatu, quibus supra; præsentibus ibidem Honorabilibus, Eximius, & Doctissimis Viris Dominis, Davide Martingio, & Conrado Bueren, Ecclesiarum Cathedralis Osnabrugensis & Collegiatae ad sanctum Joannem ibidem, respectivè Canonico, Vicario & Concionatore, tanquam testibus ad præmissa specialiter rogatis & requisitis. Præacta protestationis autem schedula tenor est talis:

Illustrissimus ac Reverendissimus Princeps & Episcopus Osnabrugensis, Dominus noster clementissimus, publicè & in his scriptis per expressum protestatur; ex quo nonnulli, qui huic Synodo de jure vel consuetudine interesse debuerant, pro hac quidem vice, tanquam notorie inhabiles, in specie citati non sint; alii etiam vel metu, vel prætextu alicujus exemptionis, non comparuerint; quod in hoc Illustrissima & Reverendissima Celsitudo Sua, Sibi Suisque Successoribus nullatenus præjudicare, sed potius jus suum sibi integrum & inviolatum & contra contumaces omnia competentia juris remedia reservare & reservata esse intendat; petendo desuper à vobis Notario Instrumentum & Instrumenta.

Et ego Gerhardus Brickwedde, publicus Notarius, & Venerabilis Curie Episcopalis Osnabrugensis Scriba communis, quia prædictæ declarationis publicationi, protestationi, omnibusque & singulis, dum sic, uti præmittitur, fierent & agerentur, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi, audiui, ac in notam sumpsit; idcirco præsens publicum Instrumentum exinde confeci, subscripsi, publicavi, & in hæc publicam formam redegei, signoque, nomine & cognomine meis solitis & consuetis signavi & corroboravi; in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum specialiter rogatus & requisitus.

SYN-